

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica sexagesimae

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Evangelium Luc. 8. v. 4. -- 15.

EXORDIUM.

CUM Abraham pater ille Credentium Deo Sacrificium obtulisset, prout ille mandaverat: descenderunt volucres super cadavera, & abigebat eos Abram, Gen. 15. v. 11.

Hâc in parte Abraham typus fuit omnium Christianorum.

Licet enim in N. T. ejusmodi Sacrificia irrationalia non amplius habemus, postquam Christus ipse venit, quem Sacrificia Levitica præfigurant, Hebr. 10. v. 1. at tamen officii nostri est ut spiritualia Deo Sacrificia offeramus, qualia sunt

1. *Sacrificium contritionis*, de quo David: Sacrificium Deo, Spiritus contribulatus: cor contritum & contractum, Deus non despicias, Psal. 51. v. 19.

2. *Sacrificium precationis*, quod cum fragranti illo thymiamate confertur, quod summus Pontifex manè & vesperi incendere tenebatur, Exod. 30. vers. 8. Psal. 141. v. 2.

3. *Sacrificium gratiarum actionis*, nempe vituli labiorum nostrorum, Os. 14. v. 3. Maximè verò, & ante omnia, exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, Rom. 12. v. 1.

Sicut autem volucres, Abrahamo sacrificante, descenderunt super cadavera, quas

ille abegit: Pari modo, si Sacrificia & cultum nostrum Deo offerimus, varia ingerunt se obstacula, quibus aut planè abstrahimur, aut in devotione impedimur. Ex unâ enim parte advolant *Corvi nigerrimi*, quales sunt Epicurei, qui peccatum suum quasi Sodoma prædicant, nec abscondunt, Esa. 3. v. 9. quo ipso præbent prava exempla, quæ obscurant bona, Sap. 4. v. 12. ex alterâ parte, *Accipitres infernales*, qui verbum planè ex corde rapiunt, ne radices agat, & fructificet, Matth. 13. v. 19. Ad quod multum confert, si semen verbi divini vel in cor petrosum, vel inter spinas cadat, ubi radicari, vel, licet enascatur, ad maturitatem per venire nequit, ut Servator ipse in prælecta Pericope innuit.

Opus igitur quàm maximè erit, ut volucres ejusmodi abigamus, cum devotâ & fidei oratione, quâ Diabolus ejicitur, Matth. 17. vers. 21. tum, sedula auscultatione & meditatione verbi divini, quod est *pravorum affectuum sugatorium instrumentum*, ut Justinus loquitur.

Horum adminiculo, caro crucifigenda est, cum affectibus & concupiscentiis, Gal. 5. v. 24. quò Deo rationalem cultum exhibea-

beamus, & verbum Dei in cordibus nostris fructum edat. Nulla enim conventio Christo est ad Belial, 2. Cor. 6. v. 15.

In prælecto Evangelio, semen verbi divini tertia ex parte perire audimus, in illis, qui non sedulo vigilant, sed infernalibus volucris connivent, ut aut semen plane devorent, aut fructificationem ejus impediunt.

Videbimus nos pro instituti ratione

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegetis.

DE Regum & mortalium Sapientissimo Salomone refertur, quod disputaverit super lignis à Cedro, quæ est in Libano, usque ad Hyssopum, quæ egreditur de pariete: & disseruerit de jumentis & volucris, & reptilibus & piscibus, 1. Reg. 4. vers. 33.

Id multo magis de cœlesti Salomone Christo Jesu adseverare possumus, in quod omnes Thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, Col. 2. v. 3. multas enim profecto elegantes Parabolas ille ex natura desumfit, in quibus simplicioribus mysteria Regni Dei dilucide explicuit, sicut & tota natura nihil aliud est, quam *manifestatio* agnitionis Dei, ut Basilii scribit, non abluens ab Apostolo, qui & ipse scribit, quod invisibilia Dei à creatione mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: semperiterna quoque ejus potentia & divinitas, Rom. 1. v. 20.

Exemplum proponitur in prælecta Pe-

ricope, ubi Servator de seminante concionatur, ejusque semine, intelligit vero eo verbum Dei. Semen inquiens, est verbum Dei. Quod autem in bonam terram: hi sunt, qui in corde bono & sincero audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientiâ.

Querela respicit

I. *Ministerii picturam*, quod hic nobis in idea seminantis proponitur. Sicut enim seminator mane & vesperi, hyeme & æstate omnes nervos intendere cogitur, si emolumentum ex agricultura capere velit: Mane semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua, quia nescis, quid magis oriatur, hoc aut illud, & si utrumque simul, melius erit, Eccl. 11. v. 6.

Ira & verbi Pracones operam dent oportet, ut attendant sibi ipsi, & universo gregi, in quo eos Spiritus sanctus posuit Episcopos, pascere Ecclesiam Dei, quam acquisivit proprio sanguine, Act. 20. v. 28. ita ut cum Paulo non cessent inter diu & nocte operarium inconfusibilem se exhibere Deo, 2. Tim. 2. v. 15. Hoc res ipsa ita requirit. Non enim Deus in vinea sua otiosos ferre potest, sed talibus delectatur, qui pondus & æstus diei portare non recusant, Matth. 20. v. 12.

2. Sicuti seminator justum tempus observare tenetur, quod Deus cuique proposito sub cœlo assignavit, tempus enim plantandi est, Eccl. 3. v. 2. quod momentum rei est, Eccl. 9. v. 11. Sic verbi quoque ministri tempori inserviant, necesse est. Et si enim Apostolus dicit, prædicandum esse verbum opportune, importune, 2. Tim. 4. v. 2. attamen non ita intelligendum id est, quasi illi temporis & auditorum rationem

habere non debeant, sed potius hæc ejus mens est, quod Pastoribus verbum sedulo prædicandum, siue auditores audiant, siue negligent, Ezech. 3. v. 11. Alias utique temporis servandum est, ut pro captu Auditorum lac & cibus solidus iis subministratur: lac illis, qui rudes sunt, sermonis justitiæ: cibus autem solidus perfectis, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus, ad discretionem boni ac mali, Hebr. 5. vers. 14.

Hoc ipsum vero summa indiget prudentia. Idcirco Servator Regnum cælorum comparat homini Patrifamilias, qui profert de Thesauro suo, Nova & Vetera, hoc est, Legem & Evangelium, Matth. 13. vers. 52. Lex destinata est impœnitentibus, ut ad agnitionem peccatorum adducantur: Evangelium vero illis, qui propter peccata laborant, & onerati sunt, ne desperent, sed fide in Christum sese erigant, qui ipsis refectorem pollicitus est, Matth. 11. v. 28.

3. Sicut Seminator multa incommoda sustinere, & sæpe in pluvia, vento & nive semen suum spargere tenetur, tempore & occasione id ita ferente: Ita & verbi Præcones inter seminandum multa adversa sustinere, & dum Christo fideles sunt, mundi ludibrium esse oportet. Odio enim habent corripientem in porta, & loquentem perfecte abominantur, Amos. 5. v. 10. sed minoris id pendentes, loquantur, quæ Deus mandavit, Jer. 1. v. 7. & merces eorum eò copiosior erit in cælis, Matth. 5. v. 12. Dan. 12. v. 3.

II. *Ecclesia mixturam*, quæ nunquam pura, sed semper bonis & malis permixta est, & ut Evangelium præsens ostendit, mali

bonos plerumque exsuperant. Sicut enim semen, de quo Christus loquitur, ex tertia parte perit, dum cecidit partim secus viam, & conculcatum est: partim supra petram, & natum exaruit partim inter spinas, & à spinis simul exortis suffocatum est: partim vero in terram bonam, & exortum fecit fructum centuplum: Sic

Non omnes sancti, qui calcant limina templi:

sed multi quoque occurrunt hypocritæ, qui sermones quidem audiunt, sed non faciunt, & avaritiam suam sequitur cor eorum, Ezech. 33. v. 33. & nolunt reverti, Jer. 5. v. 3.

Hinc Ecclesia confertur lilio inter spinas, Cant. 2. v. 2. vineæ in qua uvæ & labruscæ, Esa. 5. v. 2. agro, in quo triticum & zizania promiscue crescunt, Matth. 13. vers. 26. domui magnæ, in qua non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam, 2. Tim. 2. v. 20. Civitati, Psal. 46. v. 5. in qua cives sanctorum & domestici Dei, Eph. 2. v. 19. & canes, qui foris sunt, & manent, Apoc. 22. v. 15.

Id ipsum exempla tam vetris quam novi Testamenti abunde probant. In Ecclesia Adami fuit juxta pium Abel, parricida Cain, Gen. 4. v. 8. In arcâ Noë octo tantum animabus interfuit impius Cham, Gen. 9. v. 18. Abraham in Ecclesia sua habuit probum Isaac, & detrisorem Ismaël, Gen. 21. v. 9. Isaac pium Jacobum, & sanguinarium Esau, Gen. 27. v. 41. Jacob inter duodecim filios, duos saltem frugi habuit, nempe Josephum & Benjamin, Gen. 37.

v.2.c.42. v.38. Eliæ ætate credentes tam rari erant, ut ille se solum remansisse arbitraretur, 1. Reg. 18. v. 22.

Nonne Christus duodecim Discipulos elegerat, & unus ex illis erat Diabolus? Joh. 6. v. 70. In Ecclesia Corinthiaca fuit incestuosus, 1. Cor. 5. v. 1. Imo tot hæresi Sadducæorum infecti fuerunt, ut resurrectionem mortuorum non esse dicerent, 1. Cor. 15. v. 12.

Sic nos nihil gloriari possumus, nisi in infirmitatibus nostris, 2. Cor. 12. v. 5. egen-tes gratia Dei, Rom. 3. v. 23. In arcâ Noë fuerunt omnia animalium genera, pardus & hædi, lupus & agni. Sic in Ecclesia sunt peccatores & iusti, ait Hieronymus. Quis potest dare mundum de immundo? Hiob. 14. v. 4. Ecce, inter sanctos ejus nemo integer, & cæli non sunt mundi in conspectu ejus, quanto magis abominabilis & putridus homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem, Job. 15. v. 15.

Quid igitur blaterant Anabapistæ, Ecclesiam omnino puram in his terris asserentes? Certe inter homines immundos & fragiles illa nunquam offendetur, sed ad futuram vitam pertinet: Ibi Servator Ecclesiam, quam hic lavacro aquæ in verbo sanctificat & mundat, exhibebit sibi gloriosam & irreprehensibilem, Eph. 5. v. 27.

Interea caveant pii, ne hoc Ecclesiæ statu offendantur, & à zizaniis suffocentur: sed sicut luminaria luceant, in medio nationis prævæ atque perversæ, Phil. 2. v. 25. Lili-um enim inter lilia esse, magnum non est: sed lili-um esse inter spinas, hoc est, inter malos bonum manere, hoc vere magnum est.

Exempla eorum, qui inter malos quoque

conscientiam & pietatem illibatam conser- varunt, sunt: Noah, Gen. 7. v. 1. Loth, Gen. 19. v. 13. Jobus, Job. 1. v. 1. Daniel cum sociis, Dan. 1. v. 6.

Horum vestigiis insiste, nec sequere, si lætaverint te peccatores, Prov. 1. v. 10. sed persevera in probitate tua. Veniet aliquando tempus, quo Dominus triticum à paleis, aves ab hædis, bonos à malis separabit, Matth. 25. v. 32. ibi apparebit, quid sit inter justum & impium, & inter servientem Deo & non servientem ei, Mal. 3. v. ult. Qui igitur nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordeat adhuc &c. Apoc. 22. v. 11.

III. *Hypocritarum naturam.* Qui quidem templum frequentant, confessionem edunt, sacra Cæna utuntur, quoad speciem tantum, de centro vero Christianismi non sunt solliciti. Exemplum apparet in turba, quæ quidem certatim Christum insequitur: at magno cum discrimine. Quidam enim ad finem perseverantes, explicationem Parabolæ expectant: alii vero concionem Christi, ut vulgarem & rusticam despicientes abiturunt, nullum proinde emolumentum hinc auferentes.

O quot inveniuntur eorum, qui si die Dominica semel duntaxat templum frequentent, se officio suo abunde satisfecisse, opinantur, hinc cæteras conciones diebus profestis dicatas, alto supercilio despiciunt, ubi tamen è re eorum foret, & illis interesse. Hoc vero minime probatur. Sicut enim hodie non saturatus es, si pridie lauto & instructo convivio interfuisti, sed corpus quotidie alimentis suis indiget: Ita cum anima quoque comparatum est, quæ indies verbo divi- no reficienda est. In illis enim
vivi

vivitur, & in omnibus illis est vita spiritus mei, ait Hiskias, Esa. 38. v. 16.

Equidem non semper in templo adesse, aut domi meditatione verbi occupati esse possumus, sed ut omnia tempus suum habent, Eccl. 3. v. 1. ita certæ horæ Christiano definiendæ sunt, ut cum ipso die praxin pietatis incipias, & lectum petiturus finias, sicut Isaac consuevit exire ad meditandum in agro, ut verbo & operibus Dei se oblectaret, Gen. 24. v. 63.

Verum exercitium hoc non plane omittere est, sicut non pauci inveniuntur, qui rarius templum frequentant & sacra synaxi fruuntur, & tamen Christianos se profiteri non dubitant, Hæc sane insignis oscitantia, ex qua facile conjecturare licet, quam frigidi in Christianismo suo sint. Sermo enim Dei ipsis onus est, Jer. 23. v. 36, quem nolunt audire, Jer. 6. v. 10. sed terrena sapiunt, Phil. 3. v. 19. ideoque receperunt mercedem suam, Matth. 6. v. 2. quia enim repellunt verbum Dei, ideo vicissim repellent eos Deus, Ol. 4. v. 6.

Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex simplici stylo.* Loquitur enim de Seminatore & semine ejus, & hoc ipso mera Mystera cœlestia intelligit, ut ipse innuit quando discipulis interrogantibus, quæ hæc esset Parabola, dicit: Vobis datum est nosse Mystrium Regni Dei, cæteris autem in Parabolis.

Hæc antiquissima ratio docendi est, qua non modo saniores Ethnici, sed & S. Patriarchæ & Prophetæ Testamenti Veteris usi sunt, Legatur Testamentum Jacobi, in

quo Filiis suis prædixit, quid cum ipsis, sequioribus temporibus futurum sit, Gen. 49. v. 3. seqq. Item, Canticum Moysi, Deut. 32. v. 1. seqq. Apologia Iothan, Iud. 9. v. 8. seqq. Concio pœnitentialis Nathan, quam ad Davidem habuit, 2. Sam. 12. v. 1. seq. & ejus generis alia, & apparebit, p̄ seos peculiari artificio usos, dum res maximi momenti verbis allegoricis significarunt: Sicut & in Prophetis similitudines plurimæ inveniuntur, quibus Regnum Messia adumbrarunt & delinearunt. Eundem morem quoque Servator noster observavit, aperiendo ænigmata, ut de eo prædictum, Psal. 78. v. 2. Quia enim nos homunciones adeo stupidi natura sumus, ut non percipiamus ea, quæ sunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2. v. 4. optimus Servator quam simplicissime nobiscum loqui voluit, ut indicaret, nihil sibi gratius fore, quam si omnes homines ad agnitionem veritatis pervenirent 1. Tim. 2. v. 4.

Imperator Carolus V. D. Georg. Sigismundo Seldio aliquando absentibus omnibus ministris facem per gradus prætulisse, eumque ita allocutum esse dicitur: Hoc tibi monumentum cape à Carolo Imperatore, olim tot militibus & custodibus stipato, hunc jam cernis ab omnibus ministris detelictum, & cui tot annos ministrasti, is tibi vicissim ministravit, & lucernam prætulit.

Hæc humanitas Caroli Cæsaris merito probanda est. Sed quid de Christo dicemus? Qui in diebus carnis suæ, multo magis se demisit, dum non modo labiis suis gratiosis nobis prædicavit, sed & hoc ipso lucernam Evangelii prætulit, ut nos, qui sedebamus in tenebris & in umbra mortis,

eis, viam ad cælum invenerimus, & adhuc invenimus, si hanc ejus lucem sequamur, Joh. 8. v. 12.

Hoc plenum consolatione est. Nostrum esset, ut sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum respicerent, Psal. 123. v. 2. At ille descendit ad nos, & infirmitatem nostram adjuvat, Rom. 8. v. 2. 6. Hoc clarum est judicium, quod patienter agat propter nos, 2. Petr. 3. v. 9. calamum quassatum non contriturus, nec linum fumigans exstincturus, Esa. 42. v. 3. sed ducturus usque ad mortem, Psal. 48. v. ult. dum eò nos transferat, ubi veniet, quod perfectum est, & evacuabitur, quod ex parte est, 1. Cor. 13. v. 10. Jer. 31. vers. 34.

II. *Ex Christi Zelo*, quem in eo contesta- tur, quod alta voce clamavit: Qui habet aures audiendi, audiat.

Solemus in clamare surdos, somno immer- sos, tumultuantes, & longe re- motos.

Atqui multi spirituales surdastri inveni- untur, quibus furor est secundum simili- tudinem furoris serpentis; sicut aspidis furdæ, & obdurantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter, Psal. 58. v. 5.

Multi dormiunt in peccatis, sicut Sim- son in gremio Delilæ, Judic. 16. v. 19.

Multi, qui a deo mundanis irretiti sunt, ut præ jubilis & exultatione nequeant au- dire, quæ ad pacem suam pertinent, sed falcinantur iisdem, ut concurrant in ean- dem luxuriæ dissolutionem, 1. Petr. 4. v. 4.

& circa fidem naufragium faciant, 1. Tim. 1. vers. 19.

Multi longe sunt à justitia, Esa. 46. v. 12. iniquitates enim diviserunt inter illos & Deum, Esa. 59. v. 2.

Propterea adhuc hodie Legatos & ver- bi Præcones mittit, ut clament ex guttu- re, & quasi tuba exaltent vocem suam, Esa. 51. v. 1. ut hoc ipso excitemur, ad quæren- dum Dominum, dum inveniri potest, Esa. 55. v. 6.

Agnoscamus hinc fidelitatem Christi, quam adhuc hodie nobis exhibet. Sicut enim hîc clamavit: Qui habet aures audi- endi, audiat: Ita adhuc hodie ad ostium cordis nostri stat, clamans & pulsans, dum audiamus vocem ejus, eique januam cor- dis aperiamus: & tum intraturus & cœ- naturus est cum nobis, Apoc. 3. v. 20.

Caveamus modo, ne obturemus au- res, ut Dominus frustra clamet, alias de- fetiscitur misereri, Jer. 15. vers. 6. Nec re- spiciet nos, juxta illud, Prov. 1. vers. 24. seqq.

III. *Ex fructu vario*. Fructum enim affe- runt in patientia. Qualis hic fructus? Est salvifica agnitio Dei, ut & emendatio vitæ, quæ unice è concionibus fluit, hinc subin- de inculcatur: Pœnitentiam agite; appro- pinquavit Regnum cælorum, Matth. 3. vers. 2. Quiescite agere perverse, discite benefacere, Esa. 1. v. 16. Nolite facere rem abominandam, quam odit Dominus, Jer. 44. v. 4.

Posito hoc fundamento, Deus ulterius gratiam suam largitur, ut cum effectu pre- cari, patienter sustinere, & tandem beate discedere queamus, juxta illud; Beati mor- tui

tui, qui in Domino moriuntur, à modo ,
Apoc. 14. v. 13.

Semen variis tempestatibus subjectum est, frigori & æstui, pluviis & nivibus, ventis aliisque aëris inclementiis, dum fructus suos afferat, & ab agricola cum gaudio metatur: Ita etiam Evangelium, est sermo crucis, 1. Cor. 1. v. 18. & qui id profitentur, varias calamitates sustinere coguntur. Ideo patientia illis necessaria est, ut facientes Dei voluntatem, reportent promissionem, Hebr. 10. v. 36. Jac. 1. v. 12.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

1. *Ad Christum propera*. Id quod turba hæc fecit, factum enim est, ut turba plurima conveniret, & de civitatibus properarent ad eum.

Hoc exemplum probe observemus, ut & nos ad cultum Dei confluamus,

1. *In tali frequentia*. Hic audimus magnum turbæ confluxum factum, non modo è pagis, sed & civitatibus, ut ex ore Christi audirent verbum Dei, quod tum pretiosum erat, 1. Sam. 3. vers. 1. sine dubio inter illas multi Mechanici, & cives primarii alii fuerunt, qui negotia sua domi habuerunt: attamen Concio Christi adeo arsidet illis, ut neglectis domi rebus suis æconomicis, illa nihil prius neque antiquius habuerint. Hoc ipsum nos quoque imitantes, Dei Ministerium pro unico necessario habeamus Luc. 10. v. 42. Quicumque enim primum querit Regnum Dei & iustitiam ejus, ei cætera omnia adjicientur, *ὡς προσθήκη*, Matth. 6. v. 23.

Monachi quondam dicere consueverunt:

Non unctura rotam, non tardat
Missa quietem.

Nos multo æquius de Concionibus verbi divini id asseverare possumus. Neque enim templi frequentatio negotiis nostris impedimento est, sed potius benedictionem Dei conciliat. In omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam, Sir. 37. v. 19.

2. *Cum tali appetentia*. Turba properavit ad Christum, ad audiendum sermonem Dei. Sic maxima voluptas nostra sit iuris in adem Domini, Ibi enim audimus *τὰ λόγια τῶ θεοῦ*, 1. Petr. 4. v. 11. iisque instruiamur ad salutem, 2. Tim. 3. v. 15.

Cum Abimelech, immani parricidio perpetrato, septuaginta fratres suos super unum lapidem trucidasset, quo solus imperium ad se traduceret, Joatham frater minimus natu, qui solus remanserat, stetit in vertice montis Garizim, elevataque voce clamavit: Audite me, Optimates Sichæ, ita ut audiat vos Dominus, Jud. 9. 5. 7.

Ita & verbi Præcones in suggestum ascendentes, clamant ex gutture, ut tuba exaltantes vocem suam & annunciantes populo peccata sua, Esa. 58. v. 1. Qui igitur illos audiet, eum vicissim Dominus auditurus est, Esa. 1. v. 19. 20.

Sicut igitur Israëlita mane surrexerunt ad colligendum Mannam, quam Dominus illis mittebat de Cælo, Exod. 16. v. 21. Ita verbum Dei, verum animæ cibus esse meminimus, quam in Ecclesia quotidie dispertitur Deus: iccirco eò properabimus, ut quilibet particulam suam colligat, & in corbe

corbe cordis domum deportet. Non enim solo pane vivit homo, Matth. 4. v. 4.

II. *Diligenter auscultat.* Christus sonora voce clamat: Qui habet aures audiendi, audiat. Ex auditu enim fides est, Rom. 10. v. 17. Quod si igitur Spiritus sanctus in cordibus hominum fidem accendere debet, aures non obturandæ sunt, sed dicendum cum Samuele: Loquere, servus tuus attendit, 1. Sam. 3. v. 9.

Veri Christiani id non insuper habent, sed quando campanæ pulsantur, se mutuo excitant, dicentes: Venite, & adscendamus ad montem Domini, Esa. 2. v. 3. non quoque in templo hinc inde vagantur cogitationibus suis, sed omnibus terrenis curis valedicunt, cum Maria secus pedes Domini sedentes, quo verbum illius audiant, & optimam partem eligant, quæ non auferretur ab eis, Luc. 10. v. 42.

Quod si mysteria occurrunt, de S. S. Trinitate, Persona Christi, cæna Domini, vita æterna aliisque captum nostrum transcendentes, in captivitatem redigunt intellectum suum, 2. Cor. 10. v. 15. in promissionibus Dei non dijudicantes per diffidentiam, sed confortati in fide, dant gloriam Deo, Rom. 4. v. 29.

Quando ad pœnitentiam exhortantur, non resistunt, sed seipfos quasi cum discipulis Christi in examen vocant, Matth. 26. v. 12, & quando se fontes deprehendunt, ad frugem redeunt cum Jobo dicentes: Ultra non addam, Job. 34. v. 32.

Admonitionem audientes, ei locum relinquunt, obediens Præpositis suis & parentes iis, ipsi enim pervigilant pro animabus eorum, &c. Hebr. 13. v. 17.

Consolationes non minus corde lata-

bundo, excipiunt, cum Davide dicentes: Secundum multitudinem cogitationum mearum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam, Psal. 94. 19.

Hoc si ita factum fuerit, verbum Dei non sine effectu erit, juxta illud, Esa. 55. v. 11.

III. *Verbum conserva.* Non enim nudum audire sufficit: sed verbum quoque auditum sedulo conservandum est, juxta illud: Estote factores verbi, & non auditores tantum, Jac. 1. v. 22. seqq.

Ubi Jacobus elegans simile de speculo desumptum, subjungit. Ubi quis ad speculum stat, & cicatricem sive maculam in facie gerit, hanc ipsi speculum ostendit, prout re ipsa est, ideo nihil rei est, ut speculo irascatur, quod faciem aliter præsentaret, si formosior esset. Sic & Auditores minus excandescant, quando Pastores illis legem prædicant, & ex ea peccata commissa oculis subjiciunt. Quid his imputares? Quod si auditores meliores essent, Conciones quoque mitiores haberi possent. *Emendate mores vestros, & nos emendabimus nostros sermones*, ait Augustinus. Quia hoc vero raro fit, ideo Pastorum officium est, ut arguant, increpent, exhorrentur opportune, importune, 2. Tim. 4. v. 2. Hoc nisi fecerint, vae illis, 1. Cor. 9. v. 16. omnem enim sanguinem deperditum Deus de manu eorum requireret, Ezech. 3. v. 18.

Quemadmodum vero homo, qui consideravit vultum suum in speculo, quando maculam in eo deprehendit, illam emendare enititur: Ita & nostrum erit, si per speculum verbi divini commonemur turpitudinis nostræ, ut seria pœnitentia eandem detergamus, secus enim non magnum emolumentum ex zudito verbo re-

portabimus: sed verbum, quod locuti sumus, & non fecimus, judicabit nos in die novissimo, Joh. 12. v. 48.

Reperiuntur homines, qui leviter de Christianismo sentiunt, & omne punctum se tulisse putant, modo verbum Dei audiunt, sacra Synaxi utantur, & externo cultui vacent. Verum periculosa hæc est persuasio: quæ multos in exitium præcipitavit. Ejusmodi homines procul sunt à Regno cælorum, nec didicerunt, quid fides sit? quomodo ergo salvabuntur, si quidem sine fide impossibile est placere Deo, Hebr. 11. vers. 6.

Fœminis superbientibus familiare est, ut duo specula adhibeant, alterum à fronte

ponunt, alterum à tergo, ut utrobique factu suo se oblectent.

Nostrum quoque est, in hoc speculo nos contemplari, & à frontispicio & à tergo, ut peccata commissa lachrymis deleamus, nec minus vitam nostram ad regulam mandatorum Dei componamus: qui enim habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me, inquit Servator, Joh. 14. vers. 21. Sic aliquando eum in locum venimus, ubi hujus speculi in ænigmate non amplius indigebimus, sed videbimus Deum à facie ad faciem, in tanta gloria & lætitia, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

Largiatur id nobis Jesus Christus, Amen.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Evangelium Luc. 18. v. 31. - 43.

EXORDIUM.

Sponsa spiritualis, quæ est Ecclesia, & quævis fidelis anima, ita de Sponso suo ait: Fasciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur, Can. 1. v. 13.

Hæc allegorica descriptio est, ubi tria notanda:

I. *Dilecti cum Myrrha collatio*, ait enim: Fasciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi. Per hunc Dilectum, nemo alius denotatur, quàm Christus cælestis Sponsus, & optimus & constantissimus amicus noster, qui dilexit suos ab initio in finem, Joh. 13. 1. c. 14, 14.

Quod vero cum Myrrha confertur, quæ & fasciculus Myrrhæ appellatur, hoc ipso potissimùm Sponsa Christi tempore quadragesimale respicit, ubi in Ecclesia de passione & morte hujus Amici sui frequenter agitur. Quemadmodum enim Myrrha amara est, & tamen gratum odorem spargit, quin & ad vulnera medicina utiliter adhibetur: Ita etiam Servatori nostro passio sua non dulcis & jucunda, sed amara & dolorifica fuit, unde ipse ait: Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuidisti mihi laborem, in iniquitatibus tuis, Esa. 43, 24. Verum hoc ipso odor suavitatis